



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput III. Superstitionis definitio & divisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

depositum : 3. rem sacram in loco non sacro.

Quoad *res* multiplici modo sacrilegium perpetratur. 1. Indigna Sacramentorum consecratione. 2. Indigna eorundem susceptione. 3. Inreverenti rerum sacrarum tractatione, vel temeraria illarum illusione, & dehonoratione. 4. In tolerabili sacrorum textuum ad res ludicras & amatorias &c. detorsione. Contra ejusmodi abusus varios Ecclesia Canones edidit, censurisque in temerarios animadvertit, nec tamen omni suo zelo ingens hoc malum e medio tollere voluit.

Sacrilegium grave est peccatum; quia irreverentia rebus, personis, locisque sacris illatum in ipsum Deum reduntat, sicque raro aut nunquam materiae parvitas, sed solus advertentium defectus quandoque levis peccati reatum inducit. Non unius infimæ, sed diversæ speciei sacrilegia dantur, unumque sua malitia alterum supererat. Non igitur confusaneæ sacrilegii narratione acquiescere, sed in illius speciem ac modum indagare Confessarius debet.

C A P U T III.

Superstitionis definitio & divisio.

Quemadmodum Religio est verus Dei cultus, sic *superstitio*, quæ illi adversatur, falsus est & vana religio, qua aut indebitus cultus, aut aliter, quam jubetur Deo redditur. *Exemplum* causa, si quis modo veteris legis, aut infidelium

II. *Superstitionis definitio, & divisio.* 483

sacrificia Deo vellet reddere, indebito illum & illegitimo cultu coleret; abolita siquidem sunt veteris legis sacrificia, & ethnicorum cæremonia vetitæ semper fuerunt. Ad hanc superstitionem pertinent falsæ Sanctorum reliquiæ, aut falsa miracula, quæ Sanctorum reliquiis aut imaginibus facta falso narrantur: nec pia, quam præferunt, intentio a mortali peccato hoc mendacium excusat. Inanis quoque est cultus, qui spirituales finem non respicit; veluti candelarum numerus, quæ ante aliquam imaginem accenduntur, aut ejusdem generis exteriores aliæ actiones: item cultus ille, qui rubricis aut Ecclesiæ moribus adversatur. Hoc in divino Officio Parochi attendant, ne quid illi addant, ne quid demant contra id, quod tam sapienter Ecclesia statuit.

Est & alia longe iniquior superstitio, qua illi cultus redditur, cui reddi non debet. Hujusce superstitionis quinque sunt species; videlicet Idololatria, Magia, Divinatio, Vana observatio, & Maleficium.

Supervacaneum est de *Idololatria* differere, cum jam illa a Christianorum terris exulet. Est illa peccatum veræ religioni & fidei ex se oppositum, etenim sicut vera adoratio nequit existere, quam non præcedat lumen intellectus, quo ejus quem adoramus excellentiam cognoscimus; ita falsa adoratio, qualis est idololatria, adesse nequit, quin error in intellectu adsit, quo eo honore dignum falso judicemus, quem adoremus. Verum si fidei error abesset, & timore

H b 2

aliove

aliove affectu compulsi idololatriæ opus exeremus, exterior solum hæc esset idololatria, nec in foro interiori excommunicationi esset subiecta, quamvis eidem in exteriori foro subjiceretur, cum esse interior præsumatur.

CAPUT IV.

Divinationis descriptio ac varii modi.

Divinatio est dæmonis ope occultum aliquid inquirere, quod naturaliter sciri nequit. Porro dupliciter ope dæmonis aliquid potest inquiri, aut *expresse* certisque verbis illum invocando & consulendo: aut *tacite* & implicite, videlicet vanum aliquid vel inutile a dæmone traditum agendo, ut ejus ope occulta noscantur. Exempli gratia ut thesaurum quis inveniat, utitur versibus, quibus dæmonem rogat, ut sibi thesaurum ostendat: hæc est expressa invocatio. Puellæ ut sciant, quos habituræ sint sponfos, illosque in somnio videant, in sancti Joannis Baptistæ pervigilio, dum cubile petunt, verba quædam recitant, quibus Jovem aut Lunam orant, ut sponfos suos sibi ostendant: tacita hæc est & implicita invocatio. Idem de iis dicitur, qui ut perditas res inveniant, cribrum in gyrum agunt, vana interim verba quædam promittentes, quæ nihil significant. Nec excusatur satis, si quis profiteatur nolle se dæmonem invocare, sufficit enim id fieri, quod antea dæmon docuit.

Multiformiter respondet dæmon, aut apparentibus figuris quibusdam & speciebus, quod